

CAPUT XXIII.
DE CAUSA EFFICIENTE.

Hic mirum in modum sese torquent veteres Astrologi, Cometarum ortum jam Saturno, jam Marti, & Mercurio, mox omnibus, quos in æthere vagari vident, Planetis ascribentes, inducti non tam observationibus & experienciâ, quàm nescio quibus ratiunculis ex naturâ cometicâ petitis. Videlicet, cum sibi persuasum habeant, Cometas materiâ fiscosâ maximeq; compactâ constare, Saturnum assumunt, qui conveniens bitumen è terræ cavernis extrahat, illudq; ad aëris supremam regionem evertum radiis & influxu ad satietatem condenset: Deinde cum anthraceâ ratione Cometas ardere credant, Martis operâ utuntur, qui radiorum effervescentiâ materiam compactam feriens faciat, ut flammam concipiat: cum in æthere vagos hinc inde discurrere ventosq; his in terris cære deprehendant, Mercurium implorant, qui naturæ suæ turbulentiâ quendam ipsis impetum conciliet, eosq; ad aërem commovendum influxu suo informet.

Recentiores verò explosâ elementari naturâ cœlestiq; substitutâ causam Cometarum efficientem paulò aliter inquirent. Et ut non omninò negent, stellarum cum primis verò Planetarum configurationes harmonicas multum præstare ad materiam illam cœlestem quâ Cometæ constant præparandam, Soli tamen potissimas generationis cometicæ partes meritò tribuunt, quod is virtute sibi divinitùs inditâ generationem etiam aliarum rerum ferè principaliter absolvat. Hinc à stellarum cum primis erraticarum certis configurationibus auram cœlestem quidè moveri, dispersasq; hinc inde partes crassiores sensim ac sensim evocari & quasi coacervari, atq; ita materiam cometicam præparari; à Sole verò collectam ejusmodi substantiam quasi perfici formâq; cometicâ exornari non absq; ratione sentiunt. Et cum videamus Cometam à radiis Solaribus sensim ac sensim absumi & dissipari, nihil prohibere videtur, quò minùs colligere liceat, eundem à Sole etiam constitui & condensari, cum in Phycis eandem & constipationis & dissipationis causam esse exemplo nebularum & nubium certi reddamur.

CAPUT